THESIS III. HISTORICO-THEOLOGICA

Dissertationum nuperarum auctorem à puncto controversiæ aberrantem in viam benignissimè reducens.

QUAM PRÆSIDE

EXIMIO VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO

JOANNE LIBERTO HENNEBEL

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE,

DEFENDET

PHILIPPUS DANNEAU Athensis.

In Collegio Baii die 6. Julii anno 1684.



LOVANII,
Typis GUILIELMI STRYCKWANT sub aurea Lampade.

§. 1.

Cur benigniùs deinceps tractandus Adversarius?


Emperandns est stylus, leniendus Adversarii animus, ne ita totus in querelas, totus effundatur in invectivas, ut controversiæ sibi motæ memoriam excitata in me bilis vel omnino sustulisse, vel certè turbasse videatur. Pro Ruardo aliisque Majoribns nostris scribit Apologias, quasi indigerent illi ejusmodi vindice. Dissimulandum non erat, nihil à nobis de Driedone, Rnardo, Stapletono dictum fuisse, nisi post præcipuos Thomistas, Petrum Soto, Estium, Lemos, Sylvium; & vel sic quoque nos manifestè probasse Thomistarum hac in causa cum Lovaniensi Schola concordiam. Cnm Thesi primæ Histor. inseruissem aliquid de Driedone & Ruardo, ad priores Collegæ nostri me Theses remisit, neqne tunc alio me responso dignatus est. Nescio cur illorum vindiciis hanc potius appendicem implevit, nisi quia sibi id credidit facilius, quam assignare discrimen inter Thomisticæ & Lovaniensis scholæ doctrinam de gratia per se efficaci homini lapso necessaria. Novas proponit ac suscitat qnæstiones, qui vix leviter principalem sibi motam hactenùs attigit. Si illam evacuaverit, novum circà alias licebit inire certamen. Quam sit indignum ab una ad aliam transilire controversiam, ac operosissimas quæstiones tam desultoriè tractare, quis non intelligit? Si ad illam terminandam se minns sentiebat idoneum, inchoare non debnit, quod prosequi non potest, ne eruditi illuderent ei dicentes; hic homo cœpit disputare, & non potest consummare. Malè eum habet, quod conquisitis undique Episcoporum & florentissimarnm Academiarnm Censuris doctrinam hujus Facultatis roboraverim ac confirmaverim. Theses ejus sæpius repetitis abundant querelis, quasi querelis ejusmodi illarum enervaretnr auctoritas. Sedis Apostolicæ jura asserit violari, fulmina perpetuò minantur & anathemata, Lemures Jansenianos & Baianos evocat; ne temerè dixisse viderer Thes. 1.§.2. quod penè Ariolum esse oporteat enm, qui è damnatis Propositionibus sensus tam parergos elicit; v. gr. ex hac, *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, contrà Auctorum torrentem, contrà ipsum verborum tenorem conficere potest, prædeterminationem physicam ad statum naturæ integræ esse extendendam. Exnlceravit quoque viri animum, quod vulpem captam, quod Herculem eum dixerim; & qnanquam nihil perinde affectet, quam contra duos pugnare, Collegæque nostro exprobret, quod arma abjecerit (experietur fortè brevi an ita sit) me tamen solum Herculeæ illius fortitndinis non vult habere præconem. Cedam viro, quem delinire cupio; hæcque omnia, cum ita velit, deinceps tacebo. Querimoniarum argumentum (quamquam fortè de dicteriis invectivisqne expostnlare possem justissimè) non ingrediar, ne & ego ita quisquiliis talibus Thesim meam repleam, ut dum nomini meo Apologiam scribo, punctum difficultatis, quam tractandam suscepi, prætercam. Omnia illi remitto, omnia peramanter ignosco: quin & si retractationem scribi voluerit non ferens, quod Vulpem, quod Herculem eum dixerim, facilè confitebor tam in Thesi prima qnam ultima nihil Vulpe, nihil Hercule dignum fuisse, & ab ejusmodi nominibus constanter deinceps abstinebo. Ita spero devincire virum, ut placidè mecum disceptare pergat, in qno præcisè situm sit discrimen Lovanienses inter & Thomistas circa gratiam homlni lapso necessariam. Hæc enim Thesis meæ primæ, quam impugnare voluit, summa est, hic quæstionis cardo. Hoc inquirere studiosissimè debent Adversarii, ne doctrinam, quam ab omni censura immunem esse jube

bet Sedes Apostolica, graviori ipsi Censura non satis intellectam perstringant. Fatebuntur Thomistæ omnes quod eandem, quàm ipsi, divinæ gratiæ vim tribuamus & energiam in statu naturæ lapsæ; quod propositiones quinque damnatas eodem planè modo sensuque damnemus; ridebunt secundæ propositionis Censuram allegari, ut ad statum naturæ integræ eadem gratia extendatur. Viderint proindè Molinistæ, cur ad absolvendos Lovanienses adeò sint præ Thomistis rigidi, qui solent aliàs sequentibus sententiam probabilem tam benignè absolutionem Sacramentalem impendere.

§. 2.

An sit nefas Facultatis hujus Doctrinam Academiarum florentissimarum Censuris confirmare?

FAcultatum Theologicarum Censuris pullulantes in variis Provinciis errores evelli, & periculosa dogmata profligari neque novum est, neque Ecclesiæ sæpius fuit inutile. Contra Lutherum Colonienses & Lovanienses Sedis Apostolicæ prævênere judicium, quorum censuras Lutherus Sarcasmis, Leo X. summis excepit elogiis, eas commendans tanquam veras, doctas & sanctas. Nescio an dissertationum nuperarum Auctor eis non exprobrasset, quod involarent in jus Pontificium; sed ejus conatus risisset Leo X. juris sui peritior, qui Facultates illas laudat tanquam agri Dominici piissimas religiosissimasque cultrices. Nihil illæ tentârunt, nisi exemplo florentissimarum orbis Academiarum, Parisiensis, Oxomensis, Pragensis, &c. quarum Censuras contrà Joannem Husz, Joannem Wicleffum, Calvinum, Lutherum aliosque & Constantiense Concilium & Romani Pontifices probaverunt. Auctor interim, quem oppugnamus, sic in refellendâ Censurâ Lovaniensi anni 1587. editâ versatur, ut in hac una omnes quoque omnium Facultatum Censuras labefactet atque convellat, ipsum Antonium Ricardum, in limine disputationis suæ Theologicæ de libero arbitrio, passurus Adversarium. Scribit hic Apologiam pro Censura Parisiensi (de cujus veritate disputare non est hujus loci) sic proposito nostro congruentem, ut si Parisiensem illam rectè vindicaverit, Lovaniensem quoque absolverit. Si, eâ perlectâ, dicere perrexerit Adversarius noster, quod in jus Pontificium Lovanienses quidem involaverint, sed non Parisienses, in Lovaniensium oculo festucam, in oculo Collegæ sui trabem non vidisse facilè convincetur. Novum hoc argumenti genus est, quod nobis opponitur. Caverunt Lessius & Hamelius, ne quid unquam ejusmodi tentarent. Maluerunt per se & suos sollicitare Academias Moguntinam & Trevirensem, ut Censuras Censuris opponerent; quod & tandem obtinuerunt, rei pariter violati juris Pontificii, si Censuras ejusmodi edere nefas est. Illud sane non facilè tolerasset Apostolicus Nuntius, qui Censuras illas Lovaniensibus communicavit, cum justificationem Censuræ Lovaniensis à Facultate recepit.

Illud quidem non ignoramus, quod si vel canonicè obstitisset ne ederentur, vel jam editas sic damnasset Sedes Apostolica, illi omninò obtemperandum fuisset; verum si causam tantùm ad se evocet, contra editas Censuras nihil statuat, contentam in illis doctrinam non reprobet, sed tantisper à censuris temperari decernat, donec ipsa sententiam tulerit, nemo tam iniquus est, qui inde conficiat Censuras illas deinceps allegari non posse, dummodo omnibus notum sit quod doctrinam urgere velimus, non Censuram. Reus aliàs erit ipse Lessius nec sibi conciliari poterit, qui cum in præfatione disputationis suæ Apologeticæ de gratia efficaci testatus esset, quod nihil damnare, nihil graviore Censura vellet perstringere, nisi quod Sedes Apostolica damnat & perstringit, liberum tamen sibi credidit doctrinam, quam oppugnabat, non tantùm dicere incertam, verum etiam à quam pluri-

mi

mis Doctoribus in variis orbis Academiis valde improbatam, à quibusdam etiam (nempè Trevirensibus & Moguntinis) graviter censitam. Non dubitavit ergo ille, quin post edita Calatini aliorumque Decreta Censuræ illæ produci, illisque suam quisque doctrinam probare ac roborare posset, quamdiu Sedis Apostolicæ non obstabat auctoritas; multò minùs eas juri Pontificio adversari criminatus est. Non ignorabat nihil tam gratum Apostolicæ Sedi accidere posse, quàm dispersas per orbem Academias certatim omnes pro tuenda Catholicæ Religionis veritate ac puritate studere, si modo eâ, quâ par est, reverentiâ Petri Cathedræ obsequantur, & omnes labores sudoresque suos eò unicè dirigant, ut dispositationibus accuratissimis ad eam maturitatem controversiæ perveniant, ut primæ Sedis examini sisti mereantur. Quod si aliquando ipsa per se rem malit ob ovo tractare, nec aliorum operam desideret, iniquum est tam piæ ejus solicitudini refragari. Utrumque præstitit Facultas Theologica Lovaniensis. Lessii censuravit articulos, dum Sedis Apostolicæ Decreta non obstabant; ab omni Censura abstinuit, dum ad se controversiam Sedes Apostolica evocavit. Dedecus ergo nostrum non fuit Lessii censurasse articulos, sed laus maxima post promulgatum Apostolica auctoritate Calatini Decretum ab omnibus invectivis & asperioribus verbis temperasse. Eandem meruisset Lessius, si pari moderatione usus fuisset; verùm cum præfationi Apologiæ suæ inserere ausus fuerit, *doctrinam de prædestinatione gratuita adeò Augustini non esse, ut Calvini sit potius; qui falsò eam Augustino imponat*, limites omnes non tam excessit, quàm effregit, & moderationis debitæ palmam hæc illi Facultas præripuit.

Tantùm hìc modo cavendum est, ne quidam verborum insidiantes apicibus Censuræ nomen in invidiam trahant; quod in ipsa justificationis Censuræ præfatione sic nostri exposuêre Majores, ut nec ipse Zoilus reperire possit, quod mordeat. *Censura nomen illi dedimus*, inquiunt illi, *non quasi damnationis auctoritatem nobis sumentes, quam sacrosancta Apostolicæ Sedis propriam esse non ignoramus, sed scholasticum tantùm judicium, sententiamque nostram dicentes, aut ut verius dicamus, non aliud quàm fraternam correptionem interponentes.* Ex eadem patet præfatione, quâ animi reverentiâ eam Apostolicæ Sedi submiserint. Et ne leviter tam solemnis humilisque observantiæ professio excidisse videretur, eam repetunt in peroratione his verbis: *Censuram scholasticumque judicium nostrum, quâ decet veneratione, sacrosanctæ Sedis Apostolicæ judicio Censuræque libenter submittimus extremum ejus definitamque sententiam gratissimis pronissimisque mentibus accepturi, in quam ut intendere aliquando dignetur, etiam atque etiam rogamus.* Non sunt hæc sensa Doctorum Pontificia jura turbare vel mutilare volentium; sed quot verba, tot sunt argumenta, quibus sua Facultatibus Theologicis Censuras ejusmodi edendi vindicatur auctoritas. Fallor si non pudebit Auctorem, quem impugnamus, nobis fuisse minatum excommunicationē latæ sententiæ non aliam ob causam, quàm quia illas citavimus ac propugnavimus. Quam libenter nos à citandis illis deterruisset, ac inflicto sibi ab illis vulneri cicatricem optasset obduci! neque tamen satis hactenus assequor, quâ viâ voti sui compos efficietur. Fortè nobis improperare perget; *cur taces Sorbonam sæpius sollicitatam non voluisse unquam in partes vestras descendere?* Quasi non sufficeret, quod in eas descendissent omnes Belgii Episcopi, utraque Facultas Theologica, omnes Religiosi Ordines, accessisse quoque postea Hispaniæ Episcopos, Inquisitionem generalem Hispaniæ, Universitatem Salmanticensem. Cur potius è Gallia, quam ex Hispania quærit subsidia? Quamquam nec ipsa, quam implorat, Sorbona ei multùm faveat. Aliud est Sorbonam non edidisse solemnem Censuram, qualem ediderunt Lovanienses & Duacenses, aliud Lessii vel Molinæ dogmata probavisse. Testatur Lemos quod Universitas Parisiensis *non semel divina voluntatis efficacem prædefinitionem retinuit, & illam impugnantes sicut libertatis nostræ impeditivam compescuit.* Alibi quoque gratiæ physicè prædeterminantis assertores recensens ita scribit: *Florentissima Academia pari consensu hanc prævenientis gratiæ divinam effi-*

taciam tradiderunt, ut antiquissima & Doctissima illa Lovaniensis, Eruditissima Duacensis, Sapientissima Parisiensis, & Insignis Salmanticensis. Credibile ergò est, quod à Belgii Episcopis sollicitata Sorbona novam Lessii articulis non inussit notam, quia rem actam agere noluit, sed vetera scholæ suæ Decreta conquirere, illisque significare contenta fuit. Doctrinam, quam impugnabat hæc Facultas, Lutetiæ fuisse explosam sub finem justificationis Censuræ testantur nostri Majores. Nibil ergo huic causæ obfuit, quod Lovaniensi vel Duacensi Censuram similem Sorbona non edidit, si doctrinam illam explodere maluit, quam Censurâ tam operosâ dignari. Parum quoque ad nos pertinet, quod de Censura illa dixisse Leydeckerum Calvinistam testatur Adversarius. Illud eum propius videtur attingere, quod scribit Mariana lib. 3. de mortalitate cap. 8. *Quæ à Cassiano dicta sunt de gratia & libero arbitrio à Viris Eruditis nostrâ ætate defenduntur, quasi pietati consona, neque deflexa à fidei regula sancta. Bene consultum esset Triadi Patrum Augustino, Fulgentio & Prospero, si perinde Catholici haberentur, ac Cassianus, Faustus, aliique Massilienses.* Leydeckero Calvinistæ fidem abrogavit Adversarius, dum à recta illum fide dixit alienum. Plus aliquid ipse debet Marianæ fide, religione, & instituto sibi conjunctiori. *Stringe ergo calamum* (in Marianam: verbis tuis utor Pater Reverende) *ostende hominem errasse turpissimè.*

De Isaacio Haberto (cujus auctoritatem sæpius Censuræ Lovaniensi opposuit) hoc unum quæro, sitne ille, qui cum Cornelio Jansenio probavit opuscula D. Ghibæuf Doctoris Sorbonici de libertate? Si hanc nobis quæstionem expedierit, lepidam ei concinnabimus historiam de varia Haberti fortuna.

§. 3.

An Episcopi Belgii in jus Pontificium involassent, si Lessii doctrinam damnassent?

Methodum remittendi ac retinendi peccata ab Inquisitione Romanâ absolutam reprobavit Toletana Romani, ut omninò credimus, ignara judicii. Mox per universum Belgium spargitur, commendatur, ac miris modis obtruditur hæc Censura. Si verò nos vel mutiamus, quid contrà Molinam generalis Inquisitio Hispaniæ, Episcopi doctrinâ & Religione præstantissimi, Insignis Academia Salmanticensis vel egerint vel agere intenderint, citissimè conclamatur, jus Pontificium violari, fulmina nobis imminere & Anathemata. Mirum est Inquisitioni Toletanæ licuisse in Methodum Romæ absolutam, quod neque Inquisitioni generali Hispaniæ, neque Episcopis, neque Salmanticensi licuit in Molinam, de quo suum hactenus judicium suspendere Roma maluit quàm proferre. Quod si vel Inquisitioni vel Episcopis Hispaniæ hæc licuisse concedas, negare non poteris, quin Mechliniensis & Cameracensis Metropolitæ jure suo uti voluerint, dum Synodum parârunt Episcoporum, qui Lessii dogmata à duabus Facultatibus damnata discuterent, eadémque toto Belgio proscriberenr.

Nihil interim hæc movent Auctorem quem impugnamus. Verbo omnia diluit, ab injustis Censoribus (sic Lovaniensis vocat) Episcopos fuisse seductos asserit, quos laudat (nî potius ridere dixeris) tanquam Sapientiores, quam ut censurando involarent in jus Pontificium. Omnes Episcopos, utramque Facultatem, omnes Religiosos Ordines Baianos facit. Dolendum planè solos tunc ferè Jesuitas per Belgium Sedi Apostolicæ sincerè favisse; cæteros enim Baius in partes suas rraxerat, ut olim Arius, Nestorius, Pelagius, Lutherus, Calvinus, &c. si fides est illi Auctori.

Gaudeo sanè, quod nulli hactenus Thesi verba Lemos inseruerim, quibus testatur scientiam mediam Romæ *per aliquot annos semel, iterum, atque tertiò diligentissimè examinatam à Doctissimis Episcopis & Doctoribus ad id à Sanctissimo consignatis semper fuisse condemnatam.* Et infrà: *Post longissimas, gravissimas & assiduas disputationes in præsentia sua Sanctitatis*

Bitatis habitas...... post assiduam assistentium consultationem, aliaque innumera, quæ Sanctissimus inspici & considerari præcepit, adhibens in hoc negotio non solum ordinariam, sed extraordinariissimam diligentiam & Pontifici ipsi Summo Clementi VIII. & omnibus assistentibus, uno solo dempto, summoperè displicuit (scientia media) *ita ut scientiam appellaret Clemens VIII. cum in hac causa esset doctissimus factus : humanum inventum ad accomodandum in apparentia omnia.* Nescio an Auctor ille, qui Baium Ario Pelagioque comparare cœperat, abrupisset comparationis suæ filum; neque enim illi materia deërat; cum constet Arianismum ex Oriente aliquando in Hispaniam transivisse, ac ipsum tandem Pontificem Liberium ab Hilario, Hieronymo aliisque pluribus de Ariana communione fuisse notatum. Cælestius quoque Pelagianus Zozymum Papam primitùs decepit, & acerrimas ab eo litteras ad Africanos Episcopos extorsit. Quàm bellè congruebant hæc omnia scopo Auctoris nostri? Dicere enim poterat pari ratione, quod Baianismus è Belgio in Hispaniam, ex Hispania Romam transiisset, neque magis mirandum esse, quod illi faverit Clemens VIII. quàm quod Ario Liberius, Cælestio Zozymus propitius fuerit. Sic post integrum sæculum notantur viri, quos nullus hactenùs rumor sinister adspersit. Temperasset calamo suo Auctor ille, si expendisset propiùs, in quos tandem relaberetur tam atrox accusatio.

Et ne egrediamur Belgio nostro, Baii potius privatis commodis, quam Sedis Apostolicæ Decretis studuisse notatur Lindanus Ruræmundensis, ac paulò post Gandensis Episcopus, *non tantum omnis generis litterarum eruditione clarissimus*, teste Cardinale Baronio in notationibus ad Martyrologium Romanum 23. Septembris, *verum etiam egregii Confessoris fidei nobilitatus insignibus : quippè qui exilia, proscriptiones, ærumnas incredibiles, ac mortes ferè frequentes inconcusso robore fidei causâ sustinuit.* Dignus is planè fuit, qui Episcoporum hac in causa promovenda esset Coriphæus, quem ipse Pius IV. tanti antè triginta ferè annos fecerat, ut illius jussu invitatus fuerit, & viaticum acceperit, ut tanquam Mantuani Theologus Tridentino interesset, teste Cardinale Pallavicino. Accusatur quoque Joannes Vendevillius Tornacensis tunc Episcopus, Catholicæ fidei Propugnator strenuus, qui pro fidei negotiis tertiò Sedem Apostolicam accessit (tantùm abest Baianismo eum favisse impensiùs) ac tandem non sine Sanctitatis opinione obiit, ut fasti nostri Academici testantur. Nihil opus est addere de Matthæo Moulart Ord. S. Benedicti, Episcopo Attrebatensi, Francisco Walon-capelle Ord. Minorum Episcopo Namurcensi, aliisque dignissimis Præsulibus, quorum perpetua inter hæresum furias certamina fidem Catholicam nobis illibatam conservârunt.

Quis fuerit Estius Author Censuræ Duacensis, ejus scripta testantur. Quis fuerit Gravius Author Censuræ Lovaniensis, quàm Sixto V. quàm Gregorio XIV. gratus declarat Romæ (quo ob præclaras dotes fuerat evocatus) scriptum ipsi à Cardinale Baronio epitaphium, declarant ejusdem aliorumque Cardinalium ac Præsulum ad hanc Universitatem litteræ. Placuisse imprimis doctrinam ejus de gratia testatur Jansonii in illius mortem oratio funebris, in qua dicitur; Gravium in aliquot Comitiis de gratia aliisque temporis illius controversiis tale disputando dedisse specimen, ut cunctis admirationi esse cæperit & venerationi. Plura ibidem reperies, quæ in illum quadrare non possunt, qui Collegæ privatum honorem debitæ Apostolicis Decretis reverentiæ ac venerationi præferret.

Quis fuerit Lensæus justificationis Censuræ parens, quantus Hæreticorum Malleus, Romanæque vindex Ecclesiæ, me tacente, scripta ejus loquuntur. Quam validè Baio variis in materiis restiterint plures, qui Censuræ subscripserunt, non ignorant qui acta nostra legerunt; ut certum esse debeat non cæco adeò impetu in opiniones Baii cæteros abiisse.

Multò minùs præsumi hæc possunt de tantis Episcopis in illis temporum locorumq; circumstantiis, quibus insidiantes undique Vicini Hæretici extraordinariam ac penè divinam circumspectionem cautelamque ab iis postulabant. Tum cavendum erat vel maximè nè qui

 novita-

novitatem suam hæreticis perpetuò exprobrabant, ipsi novitatibus indulgerent, & à tritis majorum veterumque vestigiis declinarent non aliam ob causam, quam ut hominis privati honori has qualescumque vindicias immolarent.

Sed quotquot talia sentiunt plenissimè confundit Instructio brevis Gallica à Francisco Richardoto Atrebatensi Episcopo in usum Provinciæ Cameracensis edita anno 1567. (id est, antequam Philosophiæ Lessius daret operam, vel in Collegio Societatis Lovanii instituta foret Lectio Theologica) commendata Pastoribus in Synodo Andomarensi anno 1583. Verba Gallica accipe ex cap. 13. ne truncasse aliquid videar vel mutasse.

La predestination des Saincts, qui s'appelle autrement election de Dieu, n'est autre chose, qu'un ferme & francq propos de Dieu, eternellement conçeu, par lequel il veut les esleuz estre saulvez, & leur presenter les moyens pour y parvenir; le tout gratuitement prevenant de son bon plaisir. En quoy nous pouvons remercher deux causes, l'une effective & motive, l'autre finale & consecutive. Ie dis la cause effective, comme quy demanderoit, qui a été cause, où quy a meu la sapience divine de predestiner & choisir S. Paul, S. Pierre, & les autres. Lors faut il répondre, qu'à la seule bonté & volonté de Dieu se doibt attribuer cette eternelle election. Ce que se peult clairement monstrer par le discours de S. Paul en l'Epistre aux Romains où il dit: Que ce n'est pas de qui veult, où de qui court, que ce bien nous est fait, mais de Dieu seul pytoiable & misericordieux. Ce que pareillement, en l'Epistre aux Ephes. & à Timothée premiere se peut clairement voyr; par où l'Apostre dit appertement, que la predestination & election des Saincts precede nayfvement du seul & bon plaisir de Dieu, qui a pensé & deliberé sur nostre salut devant la constitution du monde......... Telle est la vray, syncere, & Catholicque doctrine touchant la predestination. Si Archiepiscopus Cameracensis dignissimum hunc Episcopum censuit, qui hanc doctrinæ Catholicæ epitomen pro universa Provincia Cameracensi componeret, si ipse Episcopus illius Auctor doctrinam in illa traditam securam facilemque esse in ipso libri titulo asseruit, si expressè cap. 13. assertionem nostram de prædestinatione gratuita clarissimam & apertissimam dixit esse Apostoli sententiam, imo esse veram, synceram, & Catholicam doctrinam, mirum videri non debet oppositam Lessii opinionem anno 1587. tantopere & Episcopos & Facultates Belgii offendisse.

Ex eadem Richardoti instructione illud quoque confirmatur, quod in oratione famosa sæpius memorata scripsit Guilielmus Estius, nempè Facultatem Theologicam Duacensem ab initio docuisse prædestinationem in statu naturæ lapsæ omninò gratuitam: Nam, teste Myræo in elogiis Belgicis, Franciscus ille Richardotus Academiam Duacenam à Philippo II. Hispaniarum Rege recens excitatam fælicibus auspiciis, habitâ & mox editâ oratione, dedicavit, primusque in ea Theologiam publicè interpretatus est.

Si ab ipsis Academiæ Duacenæ incunabilis tam certa tam recepta fuerit in his Provinciis illa de prædestinatione gratuita assertio, perspicuum est quam falsò dicatur, quod in gratiam Michaelis Baii Mechliniensis & Cameracensis Metropolitæ Synodum paraverint Episcoporum, ut doctrinam illi contrariam affinesque articulos alios è Belgio proscriberent. Si dicere perrexerit Adversarius sic mutilari jura Sedis Apostolicæ, in jus Pontificium involari, pergemus & nos praxim superiorum illi opponere sæculorum, quibus certum est fuisse familiarissimum succrescentes vel grassantes errores in Conciliis Provincialibus convellere. Testatur Augustinus, quod omnes ferè hæreses, ubi extiterunt, ibi improbari damnarique meruerunt. Sic in Milevitano & Carthaginensi, illo præcipuè agente & dirigente, Pelagius Cælestiusque damnati sunt. Si & illa involasse dixerit Adversarius in jus Pontificium, ab ipso Pontifice Innocentio I. reprimetur, qui illa præcipuè commendavit, quod post Episcopale judicium Apostolicæ Sedi tantâ reverentiâ acta sua omnia retulissent. Acta sua ad Apostolicam Sedem referre pari reverentiâ propositum fuisse Belgii Episcopis editi à Lindano libri palam faciunt. Ergo certissimum est violati juris Pontificii reos esse

non

non potuisse Belgii Episcopos, si Africani in pari causa, ipso teste Romano Pontifice, fuerunt insontes.

§. 4.

An hac in causa per latus nostrum accusentur Thomistæ præcipui ab ipsis quoque Adversariis aliquando laudati, & usque hodie superstites?

Mirum est Adversarium nostrum, qui non ignorat Thomistas præ Molinistis doctrinâ & authoritate valere ut se vindicent, sic accusare Lovanienses, ut eidem causæ semper Thomistas involvat. Si verbis viri credimus, nihil illo est in Thomistas humanius: Si rem ipsam spectemus, nihil est in Thomistas acerbius. Non minùs in illos, quam Lovanienses fulmina sua vibrat & anathemata. Adeò Thomisticæ gemella est Lovaniensis doctrina de gratia hominis lapsi, ipsis quoque Thomistis fatentibus, ut nihil nostram ferire possit, quin Thomisticam quoque pari vulnere lædat.

Accusat nos ille, quod Censuram Lovaniensem, Duacensem, Parisiensem, Salmanticensem, judicia Episcoporum Hispaniæ & Belgii citavimus. In excommunicationem latæ sententiæ, si illi fides est, incidimus. Si eas citasse tantum est nefas, quid non peccavit Bacherius hujus Facultatis Doctor, Ordinis FF. Prædicatorum, inter Principes sui temporis Theologos numeratus, qui Censuræ ejusque justificationi subscripsit? Quid non peccavit Thomas Torres, ejusdem Ordinis, quo potissimum agente & actam concipiente, anno hujus sæculi 13. se veteri majorum inhærere doctrinæ hæc Facultas solemni decreto declaravit? Quid non peccavit Facultas Duacena, dum instantibus Tholosanis similem declarationem edidit anno 1648. Quid non peccavit ipsa Universitas Tholosana, dum hanc declarationem edere Duacensibus persuasit? Quid non peccavit Thomas Lemos, Thomistarum deliciæ, cujus potissimum fidem in his citandis secuti sumus? Quid non peccavit Germanus Philalethes à Molinistis tantopere vexatus, & apud Apostolicam Sedem irrito conatu accusatus, qui Censuræ Lovaniensis & Duacensis præcipua capita triumpho suo Thomistarum inseruit? Quid non peccârunt tot præstantissimi Thomistæ usque hodie superstites, qui illum ejus triumphum laudârunt ac probârunt? Si nos in excommunicationem latæ sententiæ incidimus, certè illi non rei judicio, non rei Concilio, sed rei erunt gehennæ ignis. Compatiamur quoque Romanis Censoribus, quod nullum ejusmodi periculum in hoc triumpho notârunt, vel si fortè notârunt, indignemur gravissimè quod dissimulaverint. Si verò nullum notârint, gratulemur Adversario nostro, quod illis sit oculatior. Nescio an qui me Herculeæ suæ fortitudinis noluit habere præconem, æquiore animo has congratulationes excipiet. Faciliùs credidero, quod sicuti supra sibi gratulatus est, quod Sorbona sæpiùs etiam sollicitata in nostras descendere partes noluit; ita sibi hic applaudere perget, quod in tot Censorum, qui Thomistarum triumphum laudaverunt, Cathalogo non reperit eum, quem *in Belgio inter cæteros venerari debeo, ut membrum Prænobile Sacræ Strictæque Facultatis. Audiat*, inquit, *Eximium P. d'Aubermont, qui tam gloriosè decertavit pro Sede Apostolica & infallibilitate Summi Pontificis.* Audiemus ab eo libentissimè, quidquid ad controversiam hactenus motam pertinet; eruditis interim ridentibus, peterga quædam mutuata fuisse ab Eximio illo Viro, quibus ille Encomiastes suam penuriam solaretur, & conceptam appendicem impleret, dum controversiæ punctum declinabat. Si augurari licet aliquid, credo quod sua aliquando elogia convertet in satyras, cum intellexerit, quàm sint contraria ejus Thesibus Eximii illius patris dogmata. Jucundum erit hic illorum spectare parallelum.

Encomiastes ille in Thesibus suis pro Authoritate Innocentii X. & Alexandri VII. secundæ propositionis damnatæ, *interiori gratiæ* &c. hunc sensum in Jansenio se reperire dicit:

dicit: *in statu naturæ lapsæ nulla datur gratia, quæ non sit efficax, quæ ob voluntatis humanæ pervicaciam non sortiatur effectum illum, ad quem efficiendum à Deo datur.* En insignem Encomiasten, qui virum, quem præ cæteris, ut ait, venerari debeo, condemnat ut hæreticum, quia 14. Martii anno 1668. sustinuit in Conventu suo hanc assertionem Thesi. 25. *Nullum omninò datur auxilium, quin semper sit efficax, & efficiat semper in homine id, quod ei vult Deus; nec ullatenus fieri potest, quod Deus mentem alicujus moveat ad cognoscendum vel volendum, & non sint in ipso hi motus cognitionis & volitionis.* Proposuit quoque nobis sæpiùs Encomiastes ille quæstiones varias de gratia sufficiente, de libertate, & possibilitate præceptorum sine gratia, quem aliàs remisimus ad Thomam Lemos, ne illi excideret, quod Thomistarum doctrinam de gratia hominis lapsi propugnandam suscepimus. Verùm quæstiones illas iterum suæ Appendici inserere maluit, quàm Thomæ Lemos subire judicium. Plus fortè laudato à se Eximio Viro deferet, qui, ut inquit, tam gloriosè pro Sede Apostolica decertavit. Thesim ergò sequentem legat, in qua hæc reperiet: *illas imperfectas motiones ad bonum imperfectum, puta illustrationes intellectûs, excitationes voluntatis, cordisve vellicationes, si intrinseca & actualia auxilia sufficientia quâdam ratione dici contendas, quamvis ultimo & plene frustrentur effectu, quis inficietur? Quis negare ausit, quin ea peccatoribus non paucis crebrò impartiatur Deus? .... Sed hæc ista omnibus omninò indiscriminatim hominibus, quantumvis obduratis peccatoribus vel infidelibus, tunc saltem quando credendum vel aliud Dei præceptum adimplendum est, dari divinitus, adeòque & obligari Deum ut ea donet, alioquin non peccaturis, quæ auctoritas probat? Quis SS. Patrum docet? Quæ ratio persuadet?* Thesi verò 33. luculentè confirmat omnia quæ nos aliàs de gratia per se efficaci diximus, dum sustinet, *indubitatum esse, quod gratia habeat suam efficaciam ad convertendum hominum corda ex Dei omnipotentia, & à dominio quod sua divina Majestas habet in voluntates hominum, sicut & in cætera omnia secundùm S. Augustinum. Et dici nullâ ratione potest, quod gratiæ efficacia solummodo sit desumenda ab aliquo præsupposito seu præviso bonæ voluntatis consensu.* Thesi quoque 23. illud Molinistarum dogma mirè exagitat, sic eruditos omnes interrogans: *possit cupiam adhuc illud verum divinæ gratiæ auxilium videri, & non potiùs ludibrium, qui à Deo dari non vult nisi moraliter hominem excitans, de se penitus indifferens, ad omnem voluntatis creatæ nutum æqualiter flexile, se solo ad exercenda salutis opera absque ullo ulterius speciali efficacis gratiæ adjutorio planè sufficiens, quod reddere efficax sic sit in libera hominis potestate, ut ei consentire non sit prævenientis efficaciter & miserentis Dei effectus, sed liber volentis hominis nutus & usus, qui ex se ipso pro ingenita libertatis arbitrio, dum vult auxilio benè utitur, dum non vult, cassum illud reddit, & inane? Cum perspicuum sit, omne id, quod cum tali auxilio fieri dicitur, neutiquam à Dei gratia, nec per Dei gratiam, sed per solam hominis voluntatem effici.* Eia, *Pater Reverende*, quid me vis facere? Optas indubiè, ut monitis tuis obsequar; vis ut virum audiam, quem, ut ais, venerari debeo, ut membrum prænobile sacræ strictæque Facultatis. Ecce, permanenter audio, illisque subscribo eâdem planè formâ ac modo, quibus me nuper Thomæ Lemos dogmatibus subscribere professus sum. Ne ergo deinceps constitutiones Pontificias opponas nostris de gratia per se efficaci dogmatibus, quæ tutissima ac indubitata sunt illius testimonio, quem tam gloriosè pro Sede Apostolica certare laudasti. Si per ea libertatem dixeris destrui, vel Pelagianismum induci, ea audies, quæ numquam ego protulissem, nisi omnia te libenter ab illo audire confiderem, quem tam præclarè laudâsti. Hunc ergò tuum scrupulum sic ille evacuat Thesi 40. *Non periculum est libero arbitrio ex gratia Dei, nec voluntas aufertur, cum in ipso bene velle generatur, seu Physicè à Deo causatur. Istud igitur divinæ gratiæ ex sese ipsa & intrinseca virtute, antecedenter ad voluntatis humanæ cooperationem efficacissimæ auxilium Physicè præmovens ejusdem libertatem evertat? Hoc certè nemo SS. Patrum, sed Pelagianorum aliquis dixerit vel Calvinistarum.* Sic undequaque certum est, Eximium illum Virum, quem, ut ais, tantopere debeo venerari, accedere ad illorum Thomistarum

ſtarum indicem, qui cum Univerſitate Duacenſi, Toloſana, ac tot præſtantiſſimis Religioſis Ordinibus hujus Facultatis de gratia hominis lapſi doctrinam probârunt. Fruſtrà quoque à Collegis ſuis divellere tentat Joannem Baptiſtam Gonet aliosque, qui vulgatiſſima Scholæ Thomiſticæ dogmata de prædeterminatione Phyſica ſecuti ſunt, neque vel à Lemos, vel ab Alvarez receſſiſſe probantur. Nobis perſuaſum eſt, quod Thomiſtarum nullus hæreſis accuſabit eum, qui hominem lapſum gratiâ per ſe efficaci præmoveri ad bonum agnoſcet, gratiamque merè ſufficientem Thomiſticam admittet eodem planè modo, quo eam Lemos explicat, licet ad ſtatum naturæ integræ ſimilem gratiam per ſe efficacem non extendat. Mirum eſt Adverſarium Theſi meâ ultimâ tam graviter excitatum, ut vel unum proferret Thomiſtam, qui hanc doctrinam ab Innocentio X. & Alexandro VII. teſtaretur eſſe damnatam, non protuliſſe hactenùs ullum; ut proindè nobis dubitare non liceat, quin reperire nullo modo potuerit. Expendendum illi relinquo, quantum ſit nefas imaginarias & confictas è cerebro ſuo hæreſes integerrimis viris affingere.

§. 5.

Quomodo inſignis noſtra truncatio reſarciri poſſit?

THeſi 2. Hiſt. §. 2. inſerui hanc apertam Adverſarii noſtri confeſſionem ex appendice ejus tertia Theſi 2. "ſcimus libenterque fatemur ſuſtineri poſſe abſque omni nota gra-„ tiam phyſicè prædeterminantem, quam tenent Thomiſtæ, non rejicientes gratiam merè „ ſufficientem..... Immunis eſt gratia per ſe efficax ab omni Cenſura, ita jubente Pontifice. Compatior viro hìc altiſſimè exclamanti: "O ubi Fides! Quâ fronte mihi verbis meis ſic au-„ des imponere? Aſſerui ego, Talis gratia per se efficax (nempè Thomiſtica phyſicè „ prædeterminans) immunis eſt ab omni Cenſura &c. Quæ potuit fuiſſe ratio deſcribenti „ ex ipſis meis Theſibus omittendi voculam, Talis, quæ determinat ad certam ſpeciem, „ niſi ut indeterminata locutio involveret & gratiam per ſe efficacem eo ſenſu, quo eam „ expreſſit in ſuo Auguſtino Cornelius Janſenius.„ Neſcio quid viro acciderit, cum Theſes meas legit, niſi fortè lemures Janſenianos & Bayanos viderit, ac præ timore lectionem abruperit; ſi enim ſequentia legiſſet, facilè advertiſſet ſeſe timere ubi non eſt timor, cum poſt verba citata mox ſubdiderim: "Sicut aliàs protuli Lovanienſium doctrinam ipſis Fa-„ cultatis Theologicæ verbis expreſſam, ita nunc Thomiſtarum doctrinam libet exprimere, „ non conquiſitis hinc inde ſententiarum laciniis adulteratam, & fortè ex auctoribus „ quibuſdam deprompatam, quos Schola Thomiſtica hodie non recipit, ſed ex ipſo Tho-„ miſtarum Principe Thomâ Lemos, cujus doctrinam de gratia per ſe efficaci ab ævo am-„ plecti Dominicanorum Ordinem ejuſdem Ordinis Patres palam profeſſi ſunt tam in li-„ bello ſupplici, quam in memoriali Sanctitati ſuæ nuper exhibitis. Sic ergò gratiam per „ ſe efficacem ille definit l.4.part.2.tract.4.c.12.n.144. Eſt auxilium tale, quod ut venit à „ Deo, independenter ab humana & media præſcientia, veras tribuit animæ vires, verè-„ que efficit vi & energiâ ſuâ, ut arbitrium infallibiliter eidem præſtet aſſenſum, ita ut „ per talem efficaciam gratiæ ſuæ potenter atque ſuaviter ſibi ſubdat arbitrium, & activè „ propriè, & verè efficienter ſibi faciat conſentire. Hæc eſt propria acceptio hujus vocis, „ efficacia, dicta de auxilio divinæ gratiæ.„ Ne verò de gratia phyſicè prædeterminante quidquam vel diſſimulaſſe vel præteriiſſe viderer, ſic illam expoſui poſt eundem auctorem Tract. ante citati n.192. "Deus efficaci ſuâ gratiâ movet hominis voluntatem ad actus li-„ beros bonos, non ſolum interius ſuadendo, invitando, aut aliter moraliter tantùm attra-„ hendo, ſed etiam verè & activè propriè efficiendo, ſalvâ tamen humanâ libertate, taliſque „ efficax gratia convenienter phyſicè prędeterminare dicitur. Veritas iſta brevi compẽdio uni-„ verſam hanc materiam, & primam ac fundamentalẽ ejus quæſtionem & quoad rem & quo-„ ad vocem clariſſimè comprehendit.„ His ego nihil addidi, niſi hoc unum, quod noſtrum de

illa

illa physicè prædeterminante gratia judicium prævenisset Lemos, dum illius recensens vindices scripsit l. supra citati n.599. quod *Florentissima Academia pari consensu hanc prævenientis gratiæ divinam efficaciam tradiderunt, ut antiquissima & Doctissima illa Lovaniensis, Eruditissima Duacensis, Sapientissima Parisiensis, & insignis Salmanticensis.* En totam Thesim, in qua, (si Adversario fides) involvi gratiam per se efficacem eo sensu, quo eam expressit in suo Augustino Cornelius Jansenius. At quid in ea Thesi de Jansenio, in quâ non aliud reperies, quam hujus Facultatis Doctrinam Clarissimis Thomæ Lemos verbis expressam? Nam & prædeterminationem physicam ejus verbis definivi, ejus definitioni Thomistas cæteros subscribere certum est, denique judicium ejus de pari florentissimarum Academiarum in prædeterminantem illam gratiam consensu secutus sum. Certè hinc clarè discimus, quam altè vocem tolleret, si quid cum aliqua veri specie carpere posset, qui futiles nugas & improbabiles querelas sic exaggerat. Quid ni & illud notemus, quod doctrinam Thomæ Lemos omninò confundat cum Doctrina Corn. Jansenii (quemadmodum & Romæ fecerunt ejus Collegæ) dum me Th. Lemos verbis citatis subscribentem de Jansenismo notat?

§. 6.

Quid nobis concedat, quæ dissimulet hic Auctor?

THesi 1. & 2. Hist. Optimam ei præbueram clamandi materiam, si vocem suam volebat exerere. Dixeram omnes Belgii Episcopos, utramque Facultatem, Lovaniensem nempè & Duacensem, tam annis 1587. & 1588. quam 1648. & 1649. omnes Religiosos Ordines, ne Fratribus quidem Minoribus exceptis, Censuræ Lovaniensis probasse doctrinam. Excitaveram quoque viri studium & industriam, ut conquireret ac proferret vel unum Religiosum Ordinem, vel saltem Religiosum unum alicujus notæ Professorem Theologum, qui extrà Societatis Scholas Lessium in Belgio propugnârit, dum ejus doctrina huic Facultati Belgiique Episcopis displicuit. Cur hic non attollit vocem? Cur non exclamat, *ô ubi fides?* Nescio cui persuaderi poterit, quod hæc intacta præteriret, qui voculam, TALIS, nihil ad rem pertinentem tam graviter suprà exaggeravit. Unicum ejus refugium est, quod quidam è majoribus nostris antè Lessium hæc in Belgio tradiderint; quos (licet in multis ad has controversias spectantibus à Lessio discrepent) in plerisque suis dogmatibus Fausti calliditate fuisse deceptos tam certò omnibus alicujus notæ Theologis ante mota inter Lovanienses & Lessium opinionum dissidia persuasum fuit, ut nulla in Academiis Belgicis superessent illorum dogmatum vestigia. Abdicanda omninò esse illa ab ipsis Thomistis suprà audivimus. Ergò veteres ac plenissimè confutatas suscitavit Lessius querelas, dum ablegata jam pridem hæc dogmata in Belgium invehere, aut si malis, reducere conatus est, repugnantibus Belgii Episcopis, Facultatibus, Religiosis Ordinibus, qui aliter passim omnes imbuti erant. Ne Toletum quidem vindicare tentavit. Mirabar quoque, si ausus fuisset gloriari causam Lessii & Molinæ ex Belgio & Hispania Romam fuisse evocatam.

Thomistarum doctrinæ verbis Thomæ Lemos expressæ de gratia per se efficaci & merè sufficienti Thomistica subscripsimus §. 2. Confutavimus tricas ac sequelas, quas ex similitudine de impetu sine motu eliciebat. Locum Auctoris alicujus, ac præcipuè Thomistæ proferri petivimus, quo ex Censura hujus propositionis, *interiori gratia in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, inferret, prædeterminationem physicam ad statum naturæ integræ extendendam esse. Nescio an ad vocem TALIS, tam altè clamaverit ut ravim contraxerit, neque enim aliàs facilè credam posse ad hæc eum silere. Porrò ut ravim contraxisset, dissimulare saltem non potuit, quod ei improperavi, intollerabile esse, quod coram frequentissimo auditorum choro, præsentibus Primariis Societatis Patribus, in disputatione & schola eorum publica, justissimè latam in librum suum ab Apost. Sede Censuram Jansenianæ factioni Primarius eorum Theologus impunè adscripserit. Si Crœsi Regis Filius à puero mu-

tus

tus perpetui silentii vincula rupit,ut à paterno jugulo hostilem mucronem arceret, debuit & Auctor noster ravim hanc superare, & naturæ languentis imbecillitatem spernere, ut hanc notam (si quâ veri specie potuit) averteret à Societate sua, quæ sibi præ cæteris Apostolicæ Sedis Auctoritatem vindicare gloriatur.

De libertate amoris beatifici sic loquitur, ut non obscurè prodat infirmitatem suam. Circà libertatem ad eliciendos actus Fidei, Spei, & Charitatis, quam in illo quoque adstruximus, qui omni Dei adjutorio destitutus est, veteres quæstiones suas renovat. Nolumus infirmo infirmitatem addere. Ut hanc controversiam amicè terminare possit, neque eadem toties repetere debeat, nihil humaniùs posse fieri arbitramur, quàm ad Eximium illum Thomistam suprà citatum & elegantissimè ab eo laudatum remittere. Placetne illius judicio acquiescere?

De S. Francisco Salesio illud mihi imponit, quod ut Semi-Pelagianum, & à fide devium eum exploserim, cum tamen Viri Sanctissimi pietatem laudaverim, neque quidquam de ejus doctrina circà prædestinationem ex prævisis meritis dixerim, quin longè graviora dixerint conjunctissimus illi Cardinalis Bellarminus, Delecti ad Aquaviva Societatis Patres aliique §. 5. Th. 2. Hist. citati. Respondendum erat ad ea, quæ ex ipso S. Francisco Salesio protuli, quibus satis apertè fatetur se S. Augustino repugnare. Quo semel admisso, nemo improperare nobis justè poterit, quod in Sanctum illum Virum gravius aliquid dixerimus.

Laudo adversarii consilium, quod Theses in Scholis nostris antè annum 1613. defensas non ampliùs protulerit; vidit enim, quam id esset futile & indignum.

Cæterùm cum riserimus hactenùs, ridere pergemus, quod auxilium merè sufficiens Thomisticum nec ipse definire, nec suum de nostra illius definitione communi Thomistarum calculo approbatâ judicium proferre audeat & declarare. Merentur hæc omnia reprehensionem majorem, sed parco viro, quem in ipso Thesis limine lenire ac demulcere promisi. Illud quoque ei gratis planè concedo, quod nihil de hæresi prædestinatiana hâc vice dicam (quamquam nec ipsummet ignorare credam, quam bellè in multis vellicari posset) ut in principalem quæstionem enodandam circa concordiam Scholæ Lovaniensis cum Thomistica in materia de gratia hominis lapsi totus incumbere possit.

§. 7.

Quid à Summo Pontifice, quid à Rege Catholica nobis timendum?

SI exaggerare luberet, quæ Auctor ille nobis imponit, quam id possemus justiùs? Sed firmiter statui cum viro agere benignius; quanquam illud præteriri non possit, quod in ipso appendicis limine mihi affingit: *proposueram*, inquit ille, *Thesibus meis nuperrimis doctrinam horum auctorum, qui me oppugnant, Sedi Apostolicæ, ut ipsa, quæ est Magistra fidelium omnium, & ad quam spectat dirimere controversias inter eos exortas, de ea judicet, suspendendo interim omne judicium nostrum. Ægrè id habet Auctorem illum.* Quid si ego hic exclamarem; *ô ubi fides! Quâ fronte mihi sic audes imponere?* Absit à viris piis, absit à me hoc deflere, quod Apostolicæ Sedi controversia proponatur. Alienum, id est, à mente hujus Facultatis, quæ non ita pridem Scholæ nostræ dogmata Apostolicæ Sedis judicio liberrimè subjecit, Romæ per integrum biennium stantibus in acie ejus Deputatis, qui oblatam Apostolicæ Sedi doctrinam contra ejus æmulos tuerentur, donec tandem Apostolicâ auctoritate causa terminaretur. Excussa fuerunt omnia diligentissimè, ac tandem Lovaniensium doctrina evasit illæsa, dum 65. laxioris Theologiæ Articuli proscribuntur, aliique ejusdem farinæ parem fortunam expectant.

Adeò me ægrè non habet, quod ad Sedem Apostolicam referatur hæc controversia, ut exulta-

exultaverim vel maximè, Patres Societatis Romæ existentes causam hanc contrà Thomam Lemos tractare cæpisse, ac palam professus sim me, qui ejus doctrinæ de gratia hominis lapsi subscripseram, humillimè præstolari velle Sedis Apostolicæ sententiam, & causâ casurum, si ejus doctrina Patrum Societatis memoriali accusata reprobetur.

Fatebor equidem ingenuè displicuisse mihi non parum, quod tanto tribunali nec satis candidè nec satis nervosè proponeretur ab Adversario controversiæ status; quem ideò quoque amicè monui, ut huic deinceps labori parceret, cum eadem omnia fortiùs nervosiùsque Collegæ ejus Romani contrà P. Lemos ursissent. Aliorum erit censere, quid hic peccaverim in Apostolicam Sedem, de qua illud piè præsumo, quod illorum moderabitur audaciam, qui Thomæ Lemos doctrinam de hæresi inverecundè notârunt. Experti jam sunt alii, quàm graviter eidem Cathedræ displicuit hæc assertio: *Quisquis gratiam efficacem ita necessariam existimas, ut sine ea opus bonum fieri, aut tentatio superari non possit, agnosce te cum eodem* (Jansenio) *impiè, blasphemè & hæreticè sentire.* Illud quoque non parum nobis displicuit, quod apud Clementissimum Regem nostrum tot præstantissimi ordines de hæresi Janseniana notentur; quod hæc Schola Lovaniensis eam tantùm tradens doctrinam, quam & Pater Annatus & Thomistæ omnes sanam censent & Orthodoxam, Molinistarum tamen Censuras evadere nequeat. Tolerabilius esset id ipsum, nisi damnatis propositionibus sensus parergos affingerent, de quibus nullum hactenùs alicujus notæ auctorem cogitasse meminimus.

Obtulimus jam pridem, ac etiamnum offerimus nostram à propositionibus damnatis doctrinam secernere, si modò in determinando illarum sensu Molinistæ & Thomistæ conveniant. Nos interim, ne cuiquam possit fides nostra suspecta videri, profitemur, quod articulos omnes in materia de gratia damnatos eodem planè modò sensuque damnemus ac reprobemus, quo universa Schola Thomistica eos damnat & reprobat.

Intellexerunt Innoc. X. & Alexander VII. doctrinam hujus Scholæ suis constitutionibus non repugnare, postquam & publicis programmatis & privatis litteris apertè professa est hæc Facultas, se & Pontificum illorum decreta recipere, & doctrinæ à majoribus nostris in Censura & justificatione ejus traditæ coram Apostolica Sede professa est inhærere. Hæc nos laudamus, hæc modis omnibus prædicamus; cumque rei hìc gestæ seriem dissertationum nuperarum Auctor ignorare videatur, Thesi Historico-theologica exponere aliquando poterimus, quid hæc Facultas sub Innocentio X. & Alexandro VII. quid insuper præstantissimi Galliæ Episcopi sub Clemente IX. præstiterint, è quibus facilè intelliget, eos nihil in Apostolicam Sedem peccasse, sed ejus Devotissimos fuisse Filios, ac dignos qui post mortem ab ipsa Apostolica Sede honorificè commendarentur. Controversiam ergo præsentem de concordia Scholæ Lovaniensis & Thomisticæ de gratia hominis lapsi terminare quantocyùs nitatur Adversarius; quia mihi propositum non est novam ordiri materiam, nisi huic quæstioni imposuero coronidem.

Scio quid ille spectet. Fidei professionem à nobis exigit, quam posteà sarcasmo excipiat; & qui nos hactenùs dixêre hæreticos, mendaces insuper nos dicere pari fronte pergant. Tam diu id eis licebit, quamdiu effrænis illa non coërcebitur audacia, quâ quos volunt hæreticos, quos volunt, faciunt orthodoxos, semper novos pro nutu suo sine ullo auctore propositionum sensus fabricantes.

Promittit Auctor ille nobis pacem, si gratiam per se efficacem & sufficientem, quam cum Patre Lemos admisimus homini lapso esse necessariam, ad statum naturæ integræ extendamus. Quasi ignoraret, Germanum Philalethem, applaudentibus utriusque Belgicæ Universitatis præcipuis Thomistis sic eam extendisse. Et quamquam frustrà rentàrint Molinistæ reum illum agere violatæ Constitutionis Innocentii X. & Alexandri VII. pergunt tamen carpere Auctorem, quem Apostolica Sedes non notavit; adeò ut in memoriali Hispanico totum quoque ejus Ordinem in Jansenismi suspicionem trahant, sic de illo scribentes: